

faciat infra septa ecclesiae custodiri, capitulum vero privilegia et alia scripta super iuribus ad ipsum capitulum et canonicos spectantibus confecta faciat per decanum vel per alium seu alios de capitulo observari. Communia vero privilegia per aliquem vel aliquos de capitulo ab episcopo et capitulo communiter electos conserventur.

Quartam consultationem, quae est, utrum novum statutum in ecclesia Misnensi fieri possit sine consensu episcopi, taliter diffinimus: quod statutum tangens ius episcopi et generalem statum Misnensis ecclesiae fieri non potest sine consensu episcopi; sed statutum tangens ius capituli et canonicorum, sive sit hoc circa intrinsecam ecclesiasticam disciplinam vel circa administrationem praebendarum suarum vel quaecunque alia ius capituli et non episcopi tangentia, tale statutum fieri potest sine consensu episcopi.

Quintam consultationem, quae est, utrum emancipationes canonicorum maxime in minoribus praebendis constitutorum per capitulum fieri possint sine consensu episcopi, taliter diffinimus, quod ex quo in talibus magis attenditur singularum consuetudo ecclesiarum, quam ius scriptum, quod capitulum constitutos in praebendis minoribus et in minoribus ordinibus non possit sine consensu episcopi emancipare, de constitutis vero in maioribus praebendis capitulum Misnensis ecclesiae servet consuetudinem hactenus observatam.

Sextam vero consultationem et ultimam, quae est, utrum electiones canonicorum de ecclesia Misnensi fieri possint in hunc modum, quod a superiore ad inferiorem per ordinem descendendo quilibet canonicus vacante praebenda possit alicui irrequisito nostro et aliorum canonicorum consilio et assensu de canonicatu et praebenda vacante providere, et quod talem totum capitulum recipere sine contradictione teneatur, taliter diffinimus, quod cum in multis ecclesiis tam cathedralibus, quam aliis talis modus sit hactenus pro consuetudine observatus, ut vacante praebenda aliqua canonici secundum ordinem suae receptionis quilibet praesentet unum ad praebendam huiusmodi vacantem, eligendum ad petitionem praesentantis, qui postmodum a praesentibus aliis non vocatis eligitur in canonicum et in fratrem contradictione absentium non obstante, et hoc maxime ad discordias in electionibus evitandas, idem modus etiam in Misnensi ecclesia propter eandem causam potuit de consuetudine observari; et quia canonici iurati deposuerunt, quod talis modus multis retroactis temporibus et pluribus episcopis consentientibus est per consuetudinem hactenus observatus, iidem canonici observent et teneant, prout observare hactenus consueverunt.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Erzbischofs an einem von der Urkunde selbst zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.

No. 349. 1312. 28. Febr.

*Hermann, Meinher und Albert Brüder Burggrafen von Meissen schenken zum Altar der Vicarie des heil. Kreuzes in der Domkirche die Badestube beim Hospital in Meissen unter Vorbehalt des Rückkaufs.*

In nomine domini amen. Hermannus dei gratia senior, Meynherus et Albertus iuniores burgravii Misnenses universis praesentes litteras inspecturis salutem in omnium salvatore. Ordinationes perpetuis temporibus valiturae litterarum non inmerito testimo-